Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39405
Copyright: Melk, Benediktinerstift



cum ut Aristotelem obseruaret / et philoso-
phie studeret. et adiecit ne multa huius-
cemodi agas que me penitet egisse.

Qz regi necessaria sit scia philosophie.

Quemadmodum tibi iam persuasum esse
putamus. puero qui regnaturus sit
necessarium est philosophandi studium. philo-
sophia uero omnium mater artium. quam plato
donum Cicero inuentum deorum putat / Absque
litteris haud facile percipi potest / hec te
primum ad diuinum cultum deinde ad ius
hominum / quod situm est in generis humani
societate / tum ad modestiam magnitudinem
que animi erudiet / et ab animo tamquam ab oculis
caliginem remouebit / ut omnia supera infera
prima media et ultima uideas / Quis igitur
litteris insudare noluerit / quando tantus ex his
fructus percipitur. In quibus est boni ac mali
noticia que nobis preterita referunt presencia
moderantur. futura iudicant / Sine litteris
omnis etas cecas est. nec alieno carere du-
catu potest / illiteratus princeps / Cumque adula-
toribus plene sint regum aule / Quis ~~uerum~~
uerum principi dixerit / An non conducibile
est Regem litteras nosse / ut in philosophorum libris
ipse sibi ueritatem uendicet / Demetrius
quippe phalerius ptolomeum regem monebat
ut de regno imperioque sibi compararet / atque perleget
Que enim amici non audent monere reges / hec
in libris scripta reperiuntur.

ut libros